

in omnibus in arte logica imitandum proponere nulli addubi-
temus. Et sicuti ipse, cum Archigenem laudasset, dixit;
*non tamen in omnibus, quæ tradidit irreprehensibilis mihi vide-
tur; at velut ipse plerosque eorum Virorum, à quibus adiutus o-
ptimus evasit, reprehendit: sic par est, ipsum delinquentem à nobis
posteris examinari.* Ita quoque de Galeno, qui & ipse ho-
mo fuit, sentire nobis in præsentem licitum sit. Quod si for-
tè & nobis eadem sors obtigerit, eandem quoque veniam
nos impetraturos certò speramus.

§. III. Antequam autem prægrediamur, volupe est,
priùs vocis figuræ ambiguitatem evolvere. Nam οἱ ἄπειροι
τῆς δυνάμεως ὀνομάτων, ῥαδίως παραλογίζονται. Figura, Græcis
ἄλμα dicta, est vox πολύσημος, varias admittens significati-
ones, quas omnes recensere in præsentem nostrum institu-
tum non patitur. Primaria significatio hujus vocis Geo-
metris est usitata, quibus figura sumitur pro lineamento
undique terminato, quod si unico comprehenditur ter-
mino, oritur circulus & Sphæra; si pluribus; oritur figu-
ra trilatera, quadrilatera multilatera; seu triangulum, qua-
drangulum, multangulum. Ex Scholis Geometrarum trans-
lata fuit ista vox ad Rhetores & Dialecticos. In Rhetorica
distingvuntur figuræ in figuras dictionis seu λέξεως, quibus
voces eadem vel similiter cadentes consonant, ut Epizeu-
xis, Anaphora, Epistrophe etc. & in figuras sententiæ seu δια-
νοίας, quales sunt Exclamatio, Interrogatio, Apostrophe;
Et denique in figuras Amplificationis, quibus à causis, ef-
fectibus, circumstantiis amplificatur oratio, ut Ætiolo-
gia, descriptio etc. in *Logica* verò vox figuræ accipitur
pro quarta specie qualitatis, quæ nihil aliud est, quam qua-
litas ex terminatione quantitatis resultans, præcisè confi-
derata absque materia, in qua est: deinceps accipitur pro
figura dictionis, quæ est species fallaciæ: & denique vox fi-
guræ